IOAN. ALMENAR HISPANI MEDICI DE MORBO GALLICO LIBER.

De *morbi origine & diffinitione.* *Caput* I.

Conuenerunt ſapientes quidam, ut hic morbus qui apud Italos appellat̃ Gallicus, nunc dicatur Paturſa, quod interpretatur paſſio turpis ſaturnina: turpis enim morbus eſt, quia mulieres incaſtas ac irreligioſas reputari facit, & generaliter omnes deturpat. Et ſaturninus, quia à Saturno propter eius ingreſſum in ariete, alijs cœli diſpoſitionib. coadiuuantibus originẽ traxit. Et ſi illi influxus ceſſauerint, non propter hoc morbum ceſſare neceſſe fuit, quoniã plura corpora infecta remanſerunt, à quibus alia inficiuntur: ex quo comprehendi poteſt quod adhuc per multos annos hic morbus durabit, ideo caueãt homines ut de alijs ſumpto exemplo de ipſis dici poſſit, Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Fuit autem diſpoſitio a cœleſti influxu tunc in corporibus impreſſa, humorũ aduſtiua, ex parte ſigni arietis, quod calidum & ſiccum exiſtit, & per aduſtionem, humorum frigidorum & ſiccorum productiua, ex parte Saturni, qui frigidus & ſiccus natura exiſtit, qui humores frigidi & ſicci ſiue melancholici, per aduſtionẽ geniti, pulſi ad uaria loca, uarios dolores inferunt, & ad cutim uaria puſtularum genera producunt. Definiatur ergo ſic: Morbus Gallicus ſiue Paturſa eſt mala epidemialis diſpoſitio in membris corporis, præcipue in hepate & uenis & eorum humoribus exiſtens, ex qua ueluti accidentia ſequuntur dolores & puſtulæ per uniuerſum corpus. Tangitur cauſa efficiens quum dicitur epidemialis, quia à cœleſti influxu procedens. Formalis, quum dicitur mala diſpoſitio. Materialis, quũ dicitur in membris. Etiam tangitur differentia per hoc quod dicitur, ex qua ſequuntur dolores &c. De finali autem cauſa morbi, medicus corpo-

ralis

ralis nõ se intromittit. Spirituales tamen medici debent esse propter punitionem peccatorũ: quare qui ab hoc liberari aut ipsum euitare procurant, à delictis caueant & mentẽ suam deo applicent. Solus enim deus languores sanat, ut inqt Mes. in de appropriatis. Ex qua diffinitione plura ac utilia seqnuuẽ corrolaria. Primũ, quod hic morbus est unus & non plures, ut quidam insufficienter dixerunt, quoniam de ipso nõ posset unica dari diffinitio, neq; unicam semper causam haberet efficientem, neque unica illi competeret cura, neq; unicum haberet nomen, quod incõueniens esset, ut pro parte apparuit, & manifestius adhuc apparebit. Secundũ corrolarium, quod male arbitrãtur qui de hoc morbo capitulum inuenisse credũt siue capitula, ut de doloribus iuncturarum & de assafati, quoniam illis nõ competit diffinitio superius assignata. Præterea non omnes dolores qui fiunt, sunt in iuncturis, neq; omnes pustulæ assimilantur assafati, quare neq; hic morbus inesse cum illis conuenit, neq; cura eius ad curam illorũ reduci potest, ut inferius manifestabitur. Tertium corrolarium, quod qui curant tantũ pustulas, aut qui tantũ dolores aduertunt, imperfecte curant. Quis enim perfecte potest curare capitis dolorem, aut nimiam linguæ ariditatem, uel sitim, quæ à febre proueniunt, nisi prius curetur febris? accidens enim sequitur morbum, sicut umbra corpus, ut Galenus iij. de accidẽti. Et hoc pacto dolores ut pustulæ curari non possunt, nisi prius hic morbus curetur, quoniã ista aut sunt accidentia, aut ægritudines associatæ, quæ sequũtur principalẽ, & curã illius præsupponũt, ut Auicen. in prima tertij, & plerisq; locis ostendit. Quartum corrolariũ, quod si quis coniungat curam Empericorũ, & curã istorũ qui regulariter operari credũt, ut Emperici unguẽdo, & ut medici purgando, quod adhuc insufficiẽs est cura, quoniã per illa medicamina non remouetur illa mala cõplexio quæ in membris impressa est; & hæc fuit causa quare multi cre

diderunt se esse sanos & non fuerunt: & si aliquis sanatus est, hoc fuit, quia per medicinas solutiuas & unctiones fuerũt humores perfecte euacuati, quibus euacuatis natura fuit potentior supra morbum, uel supra malam illam complexionem, & ipsam expulit: hoc tamen non factum esset, nisi uirtus esset fortis, & impressio fuisset modica; ubi autem uirtus fuit debilis, & impressio fortis, non potuit hic morbus expelli. Propter hanc diuersitatem in uirtute & impressione quidam potuerũt sanari absq; medicinis, quidam cum medicinis, & quidam nullo modo sanari potuerunt: nos autem ostendemus modum quem experiẽtia & ratio docuit, ad sanandum omnes, remouendo cum medicinis nõ solum humorem actu facientem dolores & pustulas, & ipsum qui paratus est facere, uerum ipsam malam cõplexionem quæ humores inficit, ipsis tamen prius euacuatis, ut regulariter facere cõuenit: & in hoc consistit thesaurus curæ. Plura alia corrolaria inferre possem, sed quia superfluum est prolongare sermonem in rebus quæ in medicatione nullum afferunt iuuamentum, ut ait Galenus primo regiminis acutorũ, satis de hoc dictum puto. Superest modo de causis determinare.

De causis morbi Gallici. *Caput* II.

CAusarum duplex est genus, quoniã quædam sunt primitiuæ, quædam corporales, & istæ duplices: quædam antecedens, & quædam cõiuncta. Primitiua potest esse in hoc morbo duplex principaliter: quarum prima est sola influentia, uel aëris corruptio, per quam causam euenisse pie credendũ est in religiosis. Secunda est conuersatio, ut per oscula, & lactis assumptionem, ut in pueris uisum est: aut per coitũ, ut in pluribus compertum est & frequentissime euenisse: alijs autem modis, & præcipue à sola influentia, uel aëris corruptione, rarissime: & etiam per alios modos conuersationis euenire potuit, quod tuæ cõsiderationi derelinquo. Satis est ut scias hunc morbum esse contagiosum, ut experien-

tia

tia docet, & ratione ſimilitudinis, quam habet cum mor bis contagioſis, non aliter credendũ eſt. Vnde Auicen. ſecunda primi, in complendo ſermonem de diſpoſitio= nibus ægritudinũ: Quædam ſunt quæ de uno ad aliud tranſeunt, ſicut lepra, ſcabies, uariolæ, febres peſtilen= tiales, & apoſtemata putrida. Cauſarũ uero anteceden tium quadruplex eſt genus, ſecundum quod quatuor ſunt humores qui in materia huius morbi tranſire pa= rati ſunt, propter eorum indiſpoſitionem, aut qui im= preſſionem morbi ſuſcipere apti ſunt, ut ſanguis, cho= lera, phlegma, melancholia. Cauſa uero coniuncta eſt duplex, quia quædã eſt ipſius morbi, & eſt humor qui primo infectus aut alteratus à cauſis primitiuis inficit membra & alios humores, & hinc dicitur, Cauſæ pri= mitiuæ mouent antecedentes. Sed cauſa cõiuncta acci dentium, eſt humor immediate cauſans dolores aut pu ſtulas. Sed hic poſſet quæri, an mala qualitas exiſtens in humore, qui eſt cauſa antecedens, poſſit eſſe ægritudo: & uidetur quod non, cum ægritudo ſit paſſio uiuentis, & humor non uiuat. Ad quod reſpondetur, quod hu= mor exiſtens in hepate & uenis infectus iſta mala qua= litate, poteſt eſſe ægritudinis ſubiectum, dato quod illa mala qualitas adhuc nõ ſit cõmunicata membro, quo= niam ipſa poteſt lædere operationem digeſtiuæ hepa= tis & uenarũ, ut humores corruptos generet: ergo per diffinitionẽ ægritudinis patet ipſam eſſe ægritudinem. Ad argumentum autem dicitur, quod ſufficit quod ui= uens ſit ſubiectũ denominationis, ſiue illud quod deno minatur ægrum: non autẽ oportet quod ſit ſubiectum inhæſionis, imò ſtat quod ipſe humor ſit ſubiectum, cui ipſa ægritudo inhæreat. Et ſi dicat, Quomodo humor poterit eſſe antecedẽs, & in eo eſſe ſubiectiue ægritudi nem? Dico, quod erit cauſa antecedens reſpectu dolo= rum & puſtularũ, quia paratus fluere ad loca dolorum & puſtularum; & erit etiã cauſa coniuncta, pro quan= to cauſat malã complexionẽ in membro; & erit ſubie=

ctum ægritudinis, pro quanto habet dispositionem per quam læditur operatio membri, & ipsum facit denominari ægrum. Hæc si bene consideres, omnem difficultatem, quæ circa diffinitionem fieri aut considerari posset, comprehendes.

De signis morbi Gallici. *Caput* III.

SIgna sunt, læsio siue nocumentum in uirga, & præcipue corrosio siue nocumentũ quod assimilatur carolis, grauitas capitis, & colli dolor, quæ paulatine expandunt uersus humeros & spatulas usq; ad iuncturas, primo brachiorũ, deinde tibiarum, & aliquando fit in musculis & lacertis & alijs neruis quæ sunt in istis membris, & augetur dolor in nocte, & de die diminuitur. Cuius causa est, quia humores in nocte à natura mouentur, propter ipsam esse retractam & fortiorem, & etiam quia ratione humiditatis noctis materia augetur, aut ratione frigiditatis: de die autem natura diuertitur à sensibilibus & alijs, & nõ ita humores mouet, tum quia debilitata, tum quia circa alias operationes occupata: quia etiam signa causarum ex parte doloris & pustularum ostendam, ex alijs autem iam patebit in arbore signorum inferius declarãda. Si dolor est acutus, & non multum tarde eminens, & pustulæ sunt paruæ ad citrinitatem tendentes, uel ulcerantes, & in cute asperitas appareat, à cholera sunt. Si autem dolor est extrinsecus paulatine eueniens, & pustulæ sunt latæ ad albedinem tendentes, à phlegmate sunt: & si ista apparent & sunt cum pruritu magnifico & aliquali ardore, à phlegmate salso sunt. Si uero ad nigredinẽ tendũt & paruæ etiam sunt, à melancholia, dolore maxime existente pauco. Si autem ad rubedinem tendunt, & dolor non est multus, à sanguine fiunt. Ista tamen signa confundi reperies, si alia aspexeris signa, quoniam quemadmodũ raro accidit corruptio in humore uno solo, teste Galeno primo regiminis acutorum, ita raro reperies quod solum appareant signa significantia super unum humo-

rem.

rem ſolum, quia oportet omnia ſigna in mente colligere, & ea comparando ad ſe inuicem, comprehendere quod magis dominatur, & iuxta illius humoris dominium, ita curam ordinare.

Prognoſtica.

Ad hunc morbum magis parati ſunt melancholici, propter ſimilitudinem, iuxta Ariſtotelem ſecundo de generatione: In habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Et Auicenna: Conuerſio in genere proportionali facilior eſt quàm cõuerſio in contrariũ. ſecunda primi. & maxime illi qui ſunt melancholici per aduſtionem. Secũdo illi qui ſunt cholerici, tertio ſanguinei, propter humorũ abundantiã. Minus cæteris ſunt phlegmatici, & horum omnium magis præparati ſunt qui habent corpora rara, & adhuc omnium magis illi qui malis humoribus repleti ſunt, & qui utunt̃ cibis melancholicis, ſicut leguminibus, carnibus antiquis, & huiuſmodi. Et quãdo hic morbus eſt recens, eſt curabilis: cum autem antiquatur, difficilioris eſt curæ, & tanto magis quanto antiquior, quoniam illa mala complexio continue magis figitur: quare qui hunc morbũ patiuntur, quàm citius poſſint liberari procurent. Item habentes puſtulas eminentes multas, & dolores paucos, facilius curantur quàm qui oppoſito modo ſe habent: & qui nodos habent qui gumme uulgariter appellantur, difficilius cæteris curãtur. Iuuenes enim, cæteris paribus, ſiue adolescentes facilius cæteris curantur. Vnde Galenus: Non eſt poſſibile illos qui in ætate plus proceſſerunt magis ſaluari quàm adoleſcentes. 2. prognoſticorũ. Supereſt modo ad curam deuenire.

De cura morbi Gallici. *Caput* IIII.

CVram huius morbi per ſeptem intentiones compleri arbitramur. Prima eſt uẽtris lenitio. Secũda, minoratiua euacuatio. Tertia, materiæ digeſtio. Quarta, ipſius euacuatio. Quinta, membrorum alteratio. Sexta, ipſorum confortatio. Septima, accidentium corre-

ctio. Sed quia plus nocet error in ſex rebus nõ naturalibus, quàm ſit iuuamentum medicinarum, teſte Serapione quinto practicæ, ſecundo cap. & Auicenna, amplius ſcire oportet quod non omnis complexionis malitia ſuo medicatur contrario &c. imò multoties ſufficit regiminis bonitas, ideo regimen in ſex rebus nõ naturalibus præponendũ eſt. Vnde licet ſanis etiam debeatur regimen, illud appellatur conſeruatiuum, iſtud autem curatiuũ. Cum igitur omnis cura fit per cõtraria, ut Gal. tertio techni, & Auic. quarta primi, & hic morbus ſit ualde ſiccus, regimen debet declinare ad humidum: & quia quo ad eſſentiã eius eſt calidus, quia aduſtiuus, & quo ad humores frigidus, quia humores ſunt frigidi & ſicci, oportet temperare regimen in actiuis, & in paſſiuis facere quod declinet ad humidũ, licet propter apertionem & humorum ſubtiliationem ac digeſtionem neceſſariũ ſit adminiſtrare calida, ipſis tamen oportet admiſcere aliqualiter frigida & confortantia, præcipue hepar & uenas. Quare ſit aër in actiuis parumper declinans ad calidum, in paſſiuis autem abſolute declinet ad humidũ, ſit boni odoris & euentatus, & poteſt fieri in æſtate artificialiter huiuſmodi ſternendo folia, cannæ, ſalicis, iũci, uitis, roſas, uiolas, eis miſcendo laurum, & res boni odoris, & omnia iſta irrorando cum aqua. Circa cibum & potum diæta non debet eſſe ſubtilis. Vnde Hippoc. Tenues & certæ diætæ in diuturnis paſſionibus difficiles. quarto primæ particulæ. Sit ergo panis non calidus, nec pluris trium dierum, bene coctus & fermentatus. Vinum ſit album, clarum, medij ſaporis inter dulce & ponticum, cum aqua cocta debite permixtum, aut cum aqua bugloſſæ, boraginis, & ſimiliũ, & hoc præcipue in declinatione, quia in alijs temporibus poſſent plures materiæ duci ad loca dolorum. Ideo ſi plures dolores adſint, bibatur rubeũ uſque in declinationem. Carnes ſint ex caponibus iuuenibus carnoſis, ſed non pinguibus, & ex pullis & hœdis & uitulis.

tulis lactentibus, & agni annualis. Carnes phasianorũ, perdicum, & auicularum paruarum licet concedi possunt, tamen meliores sunt carnes domesticorum, quia magis de humido participantes. Ex piscibus conceduntur petrosi, squamosi, uiuentes in bonis aquis: & ex supradictis potest fieri ferculum, ut cum lacte amygdalarum, & seminum communiũ, & ptisana ordeacea. Est ualde conueniens far etiã, & huiusmodi. Ex herbis melior est buglossa & borago ipsa. unde uersus: Borago bona quàm dulcia sunt tua dona. Semp uirescis, & in omni tẽpore crescis, Inquit borago, gaudia semp ago. Item cõceduntur spinachiæ, & in processu fœniculus, petroselinum cum lactucis & spinachijs miscendo: & ex his herbis & ipsa cicorea potest fieri salatucium cum aceto passulato. Legumina omnia præter cicera fugienda sunt & caules. Lacticinia omnia fugienda sunt, sed lac fortasse concedi posset ubi non esset hepatis inflammatio: aut stomachi, ubi timeret eius facilis corruptio. Vnde Auic. in de cura lepræ: Lac est de conuenientioribus medicinis. Ergo propter conformitatẽ quam habet hic morbus cum illo, posset concedi. Oua conueniunt sorbilia, aut in aqua decocta. Aromata pro confortatione membrorum, & in pauco usu, & præcipue cinnamomum, concedi possunt, ideo in cibarijs potest poni talis puluis: Recipe carui, anisi, ameos, petroselini, apij, marathri, betonicæ, cimini, calamenti, pulegij, hysopi, spicæ nardi, piperis, ana ʒ.i. maioranæ, folij balsamitæ, ocimi, cardamomi, galangæ, liquiritiæ, ana ʒ.i. hic puluis maxime conueniens est habentibus stomachum debilem & cerebrum frigidũ, lætificat cor, exacuit sensus, & mirabiliter memoriã confortat. Fructus conuenientes sunt temperati. In actiuis aut parum ad calidum declinantes & humidi conueniunt, ergo mora matura & dulcia, uua matura, poma dulcia, apia muscata, dactylina, & huiusmodi, quæ dari debent cocta sub prunis. Item cõueniunt amygdalæ, pruna damasce:

na, persica exiccata & depilata, infusa in uino granatorum muzorum. Somnus sit temperatus: superfluus enim nocet, iuxta Hippocratem: Somnus & uigilia magis modo facta malum. secunda particula Aphorismorum. Minus tamen malũ est declinare ad superfluum somnum, quàm ad superfluã uigiliam: semper tamen studeas facere quod somnus sit tẽperatus. Vnde Auic. tertia primi cap. ix. Somnus temperatus uirtutem fortem efficit. Meridianũ autem somnum fugiat, nisi præ nimio dolore non potuisset dormire in nocte. Motus ante cibum factus est conueniens temperatus, pulsis tamen superfluitatibus primæ & secũdæ digestionis: melius tamen est declinare ad superfluam quietem, quàm ad superfluum motum: imò quando utitur medicinis, necessaria est quies, & ideo isti Emperici cogunt in lecto stare, uirtus enim tunc totaliter attenta est ad morbi expulsionẽ. Vitanda est ira, furor, tristitia, timor, solicitudo. Cõfert lætari, gaudere, bene sperare de salute sua, cõfidere, cum amicis & dilectis conuersari. Coitus autẽ sit temperatus, & celebrata tertia digestione. Ventrem habeat lubricum, & si non natura, arte, diebus interpolatis faciendo tale clystere: R. maluarum, fumiterræ, mercurialis, ana manip. i. boraginis m. s. fiat decoctio de qua accipiatur q. s. & addatur olei ℥. iij. salis ʒ. ij. stomacho ieiuno imponatur.

Pro prima igitur intentione, R. cassiæ nouiter extractæ, electuarij lenitiui, ana ʒ. v. & cum saccharo fiat bolus, aut distemperentur ista cum aqua fumiterræ, aut aqua fructuũ. Aut potes exhibere mannæ, cassiæ, ana ʒ. vi. & cum prædictis distemperat, pro diuitibus. Vel fiat tale clystere: R. bliti, mercurialis, maluæ, florum camomillæ, ana m. i. fiat decoctio, cui addãtur hieræ picræ ʒ. vi. cassiæ, sacchari rubei, ana ℥. i. olei communis ℥. iij. salis ʒ. ij. administretur ieiuno stomacho.

Pro secunda intentione, quæ est materiæ minoratio. R. florum uiolarũ, florum boraginis ana ʒ. iij. liquiritiæ

raſ.

raſ.paſſuiarum enucle.ana ʒ.ij.prunorũ ſebeſten ana numero v.foliculorũ ſenæ,epithymi ana ʒ.i.fiat omniũ decoctio,de qua accipiatur quantum ſufficit ad diſtemperandum: caſſiæ nouiter extractæ, electuarij lenitiui ana ℥.i.electuarij Indi ʒ.i.s. uel tantundem cõfectionis Hamech,fiat bolus ſaccharo, aut diſtemperẽtur omnia &c.ut ſuprà. Vel,R.pilularum fœtidarum de fumoterræ ana ℈.i.fiant pilulæ iij. melle roſaceo, & dentur poſt cœnam electuaria,aut dentur de mane.

Pro tertia intentione,quæ eſt materiæ digeſtio.R.ſyrupi de fumoterræ, de bugloſſa,ana ʒ.vi.aquarum cicoreæ,endiuiæ,lupulorum,ana ℥.i.& continuetur per quinq; dies.Deinde detur ſolutiuũ poſitum in ſequenti intentione,poſtea iterum accipiat alium ſyrupum,ut gratia exempli: R.ſyrupi de ſticados ℥.i.de fumoterræ ℥.s.aquarum boraginis,lupulorum & endiuiæ ana ℥.i. tranſactis autem ſex diebus aut ſeptem detur iterum ſolutiuum, & poſtea iterum accipiat ſyrupum adhuc fortiorem, puta de epithymo, cum aquis fœniculi, petroſelini &c. & ſi infirmus faſtiditur ſyrupum,fiat talis decoctio:R.radicum apij,fœniculi, petroſelini,bugloſſæ,bruſci,ſparagi,ab eis extracto meditullio ligneo,capillorum Veneris, florum boraginis & meliſſæ,epithymi,polypodij, thymi, paſſularum,ana partes æquales, fiat decoctio & coletur, & addito pauco aceti & modico ſacchari, iterum una bulitione bulliat, & de ipſa accipiat patiens cyathum unum, modo & ordine calidum ut ſuprà:& ſi de hac decoctione iam faſtiditur infirmus,dentur tales aquæ ſaccharo:R.aquarum ſcolopendriæ, fœniculi, bugloſſæ,boraginis,fumiterræ,ana unc.i.cum modico ſacchari detur ut ſuprà. Sed quia materia eſt adeò rebellis,quod non poteſt per intus ſuſcepta digeri, oportet quod ad extra applicentur,quæ hanc materiam in digerẽdo iuuant, adeò ut quantumcunq; materia ſit digeſtioni inobediens,hoc modo digeratur,applicando ſcilicet per intus & per extra.Nec de-

hoc mireris, ſcilicet de applicatione medicaminum ad extra ad digerendum, quoniam Gilbertus in cura terianæ cõpoſitæ ait: Oportet digerere materiam per fomentationes, emplaſtrationes, & huiuſmodi. Talis ergo ſeruetur ordo, ut prima & ſecunda die accipiat ſyrupum patiens, tertia autem die facias ungi cum unguento inferius deſcribẽdo, omnes partes domeſticas tibiarum & brachiorum, & plantas pedum & palmas manuum, leniter tamen, & parum apponẽdo de unguento, & hoc quando uadit patiens dormitum, & de mane accipiat etiam ſuum ſyrupum, ita ut in ſexta die ſint accepti ſex ſyrupi, & ſint factæ tres unctiones, & tunc dabis medicinam ſolutiuam, & humores qui per os expelli deberent ad inferiora diuertẽtur, & ſic euitabitur nocumentum in ore. In diebus autẽ ſequentibus ſimili modo utaris, fortificando tamen aliquantulum digeſtiuum, & etiam unguentũ, ponendo magis de theriaca & argento uiuo. Potes etiam illa loca fomentare cum decoctione meliloti, radicũ altheæ, & ſimilium, & hoc faciendo de mane, & ſic erunt tria ingenia ſimul ad digerendũ, ſcilicet ſyrupi, unctiones, & fomentationes.

Sequitur modo deſcriptio unguenti. R. butyri ℥.iij. axungiæ porci mediæ inter recentem & antiquam ℔.i. theriacæ ætatis decem annorum ℥.i.s. mithridati ℥.i. argenti uiui ℥.ij.s. lithargyri auri, ſalis communis, ana ℥.i. fiat unguentũ ex iſtis, incorporando tantum de aqua fumiterræ & ſcabioſæ quantum poterit incorporari: & hoc unguentum eſt propria medicina huius morbi, & ultimum & maius ſecretum quod eſſe poſſet circa ea quæ exterius applicãtur. De his autem quæ interius applicantur, principalius & maius iſto eſt aqua deſtillationis theriacæ, ut uidebitur.

Pro quarta intẽtione, quæ eſt ipſius materiæ digeſtæ euacuatio. In forma potabili primo: R. electuarij lenitiui, caſſiæ nouiter extractæ, ana ʒ.iij. electuarij Indi minoris, confectionis Hamech, ana ʒ. cum aqua fructuũ

uel

uel cum decoctione prius dicta, detur de mane dormi=
endo desuper per horam. Possunt etiam ista distempe=
rari aqua buglossæ, & endiuiæ, de fumoterræ, & simili=
bus q.s. uel loco cassiæ ponendo mannæ ʒ.vi. pro di=
uitibus. Vel pro ipsis diuitibus detur talis medicina: R.
liquiritiæ ras. passularum, ana drach. ij. sebesten nume=
ro. iiij. florum boraginis, buglossæ, ana menip. s. folicu
lorum senæ numero iiij. tamarind. ʒ.i. bulliant in aqua
buglossæ, fumiterræ, ana q.s. de qua decoctione su=
mantur ʒ. ij. in qua infundant̃ rheubarbari ℈. iiij. agarici
℈. ij. spicæ gra. iiij. stent ꝑ octo horas in infusione, & fiat
expressio, cui addantur elect. lenitiui ʒ.vi. electuarij In=
di minoris, confectionis Hamech, ana ʒ.i.s. & fiat potio
quæ exhibeatur modo ut suprà. Hoc tamen gratia ex=
empli dictũ sit. Pilulæ conuenientes sunt pilulæ de her
modactylis, de fumoterrę, Indę, Aggregatiuę, ut gratia
exempli: R. pilularum de hermodactylis, de fumoter=
ræ, ana ℈.i. fœtidarum ℈. ij. cum syrupo de sticados fi=
ant pilulæ pro una uice, quas accipiet patiens de mane,
& dormiet desuper per horas tres aut quatuor. Omnia
ista dicta gratia exempli, quoniã tua interest secundũ
exigentiã particulariũ uariare, si opus erit. Ista solutiua
sunt accipienda in sexta die, prout dictum est in præce=
denti intentione, & eo ordine procedendum est.

Pro quinta intentione, fiat balneum siue stufa cum
aqua dulci, in qua bulliãt malua, bismalua, melilotum,
chamæmelum, rosæ, lapathium, fumus terræ: & hoc de
bet fieri post purgationem in die sequenti. Hoc enim
pacto fit cõueniens alteratio, quia humectatio, quæ ma
xime requisita est: & quum incipit sudare accipiet infra
scriptam aquam: R. radicis altheæ, fumiterræ, lapathij,
inulæ, ana ℔.s. & minutim incidantur & ponantur in
quatuor libris uini maluatici ad remolliendũ per unum
diem & unam noctem, postea addatur theriacæ ætatis
decem annorũ aut plus ℥.i.s. & ponatur in alembico,
& destilletur aqua, de qua accipiant̃ ℥. iij. cum ℥. ij. aquæ

bugloſſæ, in principio, ut dictum eſt: & iſta ſtufa reiteretur omnibus ſex diebus tranſactis aut ſeptem, bibendo iſtam aquam, quæ eſt optima & ſingularis, & in hoc morbo magnum ſecretũ, & ultimum eſt cauterium.

Pro ſexta intentione, quæ eſt membrorum confortatio. R. lætificantis galeni ℥. iij. diamuſci dulcis ʒ.vi. aromatici gariofil. ʒ.s. electuarij regum ʒ.i. cõſeruæ bugloſſæ, cidoniorum, boraginis, ana ℥.i. ſyrupi de pomis q.s. fiat electuarium, de quo accipiantur de mane ʒ.ij. uel cochlear unum. Item: R. theriacæ Andromachi habentis ætatem annorũ x. ad minus, ℥.i. mithridati ℥.s. ſeminis citri, boli armeni, ana ʒ.i. incorporentur omnia ultimata contritione, & cum aqua roſ. muſcata fiat electuarium, de quo accipiat ad quantitatẽ auellanæ, uel ʒ.i. Item poteſt fieri talis confectio ad reſtituendum, ſi debilis ualde fuerit, ut ſæpe accidit. R. amygdalarũ dulcium, auellanarũ, ana unc.i. fiſticorum unc.s. ſeminum communium frigidorum drach. vi. ſacchari fini pinidiorum, pulpæ caponis, ana unc. iij. cum aqua roſata fiat confectio in morſellis. Item ad hoc ualent epithemata, ſacculi cordiales, & huiuſmodi, quæ narrare prolixum eſſet nimis.

Pro ſeptima intentione, quæ eſt accidentium correctio pro doloribus, ſi nimium & intolerabiliter infeſtauerint. R. radicis lilij, ſeminis hyoſcyami, ana drach. iij. ceruſſæ unc.i. medullæ cerui & uituli ana unc. ij. olei antiqui & ceræ q.s. & fiat unguentum quo liniatur locus doloris. Aut poteſt poni modicũ opij, ſi ultima neceſſitas fuerit. Et quoniam iſta narcotica nõ debent applicari niſi urgente maxima neceſſitate, dicente Auic. xvi. tertij: In narcoticis timor. Et Meſ. Si excuſare potes non propinare melius eſt. dimittantur pro poſſe, & prius tententur anodina, & uere ſedantia, ſicut anethũ, chamæmelum, melilotũ, althea, uitellum oui, lac, maxime humanum, & huiuſmodi.

Pro puſtulis utere prædicto unguento. Vel, R. terebinthinæ,

binthinæ,pinguedinis hirci ana unc.i.ceruſſæ,lithargy ri auri,aluminis uſti, ana unc.s.olei laurini unc.ij.ceræ q.s.fiat unguentũ. Pro puſtulis ulceroſis,fiſtulis & can cro, R.nitri fuliginis, lithargyri, tartari cocti ſub cine= ribus in frondibus caulium, auripigmenti, piperis,liba ni,uitellorum ouorum,ana unc.iiij.radicis inulæ,lapa= thi acuti in forti lixiuio cocti,ana drach.ij.ſucci fumiter ræ,ſucci lapathi acuti & abſinthij,chelidoniæ, inulæ, fa bæ græcæ,abrotoni, de omnibus his ſuccis ana unc.iij. hellebori albi, ſaponis ſaraceni, ſulphuris uiui,ana dra= ch.s.omnes ſucci bulliant, depurentur & colentur, & poſtea radices lapathi, inulæ,tritæ ponantur,deinde ſa po,poſtea puluis ſpecierum, & tunc adde olei commu nis axungiæ porci,& ceræ ana drach.ij.argẽti uiui cum axungia extincti unc.i.& fiat unguentũ quod erit mi= rabile ad ſupradicta.Pro gummis uel nodis accipe radi ces altheæ, & in uino albo coque, & cum axungia gal= linæ tere & ſuperpone.Item:R.mucilaginis ſeminis li= ni,mucilaginis altheæ,ana drach.ij.olei de ſpica,amy= gdalarum dulciũ, camomillæ, ana unc.s. butyri unc.i. gummi arabici, dragagãti,ana drach.i.cum cera fiat un guentum ad mollificandum & reſoluendum mirabile. Ad idem uidelicet cerotũ de mucilaginibus, hyſopus humida,& ſimilia. Item ad omnia iſta ualet unguentũ quod ſolet fieri ad ſcabiem,ut:R.terebinthinæ bene lo tæ uncias quatuor,butyri loti unc.ij.ſalis drach.i.ſucci citrangulorum, uitellorũ ouorum, ana nu.iij. olei roſ. unc.i.miſceantur omnia ſimul & fiat unguentũ.Multa alia poſſem hic conuenientia ſcribere, ſed quia remoto morbo principali,iſta omnia facillime remouentur,iſta ſufficiant. Sed pro nocumento oris,ſi acciderit,R.ro= ſarum alb.& rub.ana m.s.chamæmeli, ſaluiæ,ana m.i. bulliant in uino albo, & coletur, cui colaturæ addatur aluminis uſti drach.ij.diamoron, mellis roſ. colati ana unc.s.uini granatorũ unc.ij.miſceant,& lauetur os ſæ pe in die, & debet eſſe uinum una mẽſura & media, &

loco uini poteſt poni aqua plantaginis, ſolatri, & ſcabio ſæ, uel ſemperuiuæ, & poteſt addi in decoctione camphoræ grana. v. uel philonij drach. s. plus aut minus ſecundũ doloris exigentiam: ſed, ut dictum eſt, ab iſtis cauendum eſt narcoticis. Item ualent fruſta cucurbitæ uiridia in ore retenta: ualet etiam lauare os lacte, miſcendo cum eo aquam nenufaris & ſolatri: & multa alia hic ponere poſſem, ſed quia in ore non accidet nocumentum, ſi bene & iuxta prædicta operatus fueris, ſatis dictum ſit. Supereſt nunc de modo euitãdi morbũ loqui.

De cautela in euitando morbum Gallicum. *Caput* V.

QVi Gallicum morbum euitare procurant, in primis à delictis caueãt. Vnde dici ſolet, Propter peccata ueniunt aduerſa: & maxime à peccato luxuriæ cauere debet: nam dicit Iob tertio: Luxuria ignis eſt uſq; ad conſumptionem deuorans. Et ſpirituales medici dicunt, quod diuerſæ ægritudines ueniũt propter diuerſa peccata, ut febris quotidiana propter peccatum ſuperbiæ, podagra propter pigritiam, lepra propter luxuriam, & ſic de alijs. Quũ ergo iſte morbus lepræ aſſimilatur, luxuriæ attribuendus eſt. Sed quia hæc ad aliũ medicum pertinent, ſatis dictũ ſit. Dicamus ergo quod noſtra intereſt, ſcilicet ut caueat homo à nimia conuerſatione cum infectis, & præcipue à coitu cum infecta muliere, eſt enim hic morbus cõtagioſus. Vnde Auic. ſecunda primi in cõpleto ſermone in ægritudinibus ſic ait: De ægritudinibus, quædã eſt quæ ab uno ad aliud tranſit, ſicut lepra, ſcabies, uariolæ, & febres peſtilentiales, etiam apoſtemata putrida. Cum ergo hæc ægritudo aut lepræ, aut ſcabiei cõformatur, cõtagioſam dicere conuenit. Item cauendũ eſt ab his, quæ humores malos generant, & præcipue quæ multiplicant humorem melancholicũ, ut oſtenſum fuit in regimine per ſex res non naturales: & ſi contingat quod accidat nocumentum in uirga propter coitum, ſtatim remediandum eſt cum ſequenti lauanda. R. roris marini, ſaluiæ, chamæmeli,

meli,ana m.s.bulliant in uino albo, cui postea facta colatura addant uini granatorũ unc.ij.mellis ros. unc.s. madefiat uirga seu locus infectus cum hac decoctione, postea aspergatur desuper talis puluis: R. lithargyri auri,cerussæ, ireos, tutiæ, nucũ cupressi,ana drach.i.puluerizentur optime & post lauandam ponatur: & si hic puluis erit nimis fortis,addatur thuris,masticis,myrrhę ana drach.i. Pro maiori tamen securitate, cum coitum perfecerit homo uel mulier, se optime abstergat circa pudibunda, cum camisia aut alio panno lineo mundo: & caueat à pannis ipsarum mulierum, quoniam infecti sunt: & postquam ita fecerit, pro maiori adhuc securitate abluet locum cum aqua calida aut uino albo. Cauendum enim est ab aqua frigida, quoniã ipsa materia compingit. Vnde in fricatione coitus adhæret aliqua limositas, siue humiditas in uirga, quæ est causa infectionis uirgæ & corporis. Igitur bonum erit hoc uti regimine, ut remoueatur illa infectio seu sordities.

De solutione difficultatum quæ moueri possunt circa hunc morbum. *Caput* VI.

CLarificatio, si quæratur, quare hic morbus incipit à pudibundis? Dicunt quidã inepti, quod ideo est, quia ibi magis abundant humores corruptioni parati. Sed contrà si hæc ratio esset sufficiens, omnes ferè ægritudines ibi haberent initium: ideo dicatur quod inter membra illa & morbi qualitatem talis est conformitas, & hoc merito talis influxus: non enim quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum. physicorum primo. Sic hic morbus aptus est primo recipi in uirga, & deinde in collo, capite & humeris, & nõ in alijs locis: unde ille influxus qui fuit illis temporibus, capiti & uirgæ inimicabatur. Et si quæratur, quare terminatur per os? respondet, quod hoc est merito argenti uiui à sua proprietate hoc faciens, scilicet trahẽdo humores uersus illas partes. Aut melius quod argentum uiuum sua caliditate humores subtiliat & calefacit, &

hoc modo aptos reddit ut per ſuperiora eos natura expellat, unde Paulus ponit ipſum calidum & humidũ in quarto, cui magis adhæreo quàm Auicennæ, qui ponit frigidum in ſecundo.

Et ſi quæratur, quare os fœtet? dicendum, quod hoc eſt ab argẽto uiuo, cuius proprietas eſt ut faciat fœtere os fumus eius, ut Auic. ſecundo canone, cap. ſuo: Et ab eo etiam prouenit dolor capitis, & nocumentũ in ore, ut ex natura ſua colligitur. Accedit ad hoc humor qui eſt aduſtus, putridus, & malus, qui habet facere eadem accidentia: ideo nil mirũ ſi tantus dolor: quare ſummũ remedium eſt, ut quum incipit humor expelli per os, diuertatur cum medicinis per ſuperius & inferius exhibitis ad partes inferiores. Et ſi quæratur, quare aliqui quantumcunq; parati ad ægritudines melancholicas merito cõplexionis & mali regiminis, & coëuntes cum iſtis infectis, non inficiuntur? Dico, quod hoc fortaſſe eſt, quia eorum corpora ſunt magis denſa, & ex conſequenti difficulter impreſſionẽ recipientia magis quàm cætera, aut merito proprietatis indiuidualis, quæ diuerſa in diuerſis reperiũt, ut Auic. prima primi. Et ſi quæratur, quare argentum uiuum iuuat magis quàm cæteræ medicinæ, præter deſtillationẽ theriacalem ſuperius deſcriptam? Dicendum, hoc eſſe à proprietate, aut melius à qualitate manifeſta, quia calidum & humidum in ultimo, & morbus frigidus & ſiccus. Quod autẽ ſit morbus frigidus & ſiccus, perſuadetur primo, quia ſaturninus, ut oſtenſum eſt. Secundo, quia compertũ eſt humida iuuamentũ præſtare & calida. Item quia ſimilitudinem habet cum lepra, quę eſt morbus frigidus & ſiccus, & cum alijs melancholicis morbis. Item quia ægritudo longa: unde Auic. prima tertij, tractatu ſecundo, cap. ultimo: Aegritudo cuius tempus prolongatũ eſt, eſt frigida ſecundũ omnem diſpoſitionem. Et cõfirmatur, quia raro uidemus iſtam materiã putrefieri, & cauſare febrem: unde Galenus: Nullius rei proprietas

eſt

est ut putrefiat ex frigido, neq; ex sicco. secũdo de complexionibus. Quare dicendum est, hoc esse propterea, quia frigida & sicca ægritudo. Et si quæratur, quare sæpe accidit, ut remedia aliqua uideantur in principio conferre, sed postquam continuantur, non perseuerat iuuamentum? Dicendum, hoc esse duplici de causa, quarum una est ex parte naturæ, alia ex parte ægritudinis. Ex parte naturæ, quia in cõtinuatione fastiditur, & in renouatione gaudet. Alia est ex parte morbi, quia etsi in principio remedium cõtrarietur morbo, in processu cessat cõtrarietas propter assuefactionem: & ideo ait Auicenna, ab ipso quod consuetũ est non fit passio. quarta primi. Vnde uidemus aliqua animalia in prima obuiatione esse contraria & inimica, sed postquam assuefit eorũ conuersatio, cessat illa inimicitia, & tunc domesticãtur, & cessat inter ipsa actio siue pugna. Pariter iudicandũ est hoc inter qualitates esse. Et si dicatur contrà, quia agente debite approximato, & passo bene disposito &c. de necessitate sequitur actio. Respondetur, quod in hoc casu bene sequitur actio, sed adeò pauca quod nullius est momenti. Aut dicitur, quod propter assuefactionem cessat dispositio in patiente, ex quo sequitur, quod permutatio medicinarũ, dummodo non egrediantur propositum, maximæ utilitatis est, ut Auicenna allegato loco. Et si quæratur, utrum phlebotomia sit conueniens? Dico, quod in principio, & antequam materia sit exparsa ad loca doloris, ex quo ipsa est in uenis & sanguini mixta, maxime si etiam neque fuerit exparsa ad cutim, ipsa est conueniens, si particularia conueniunt: in processu autem non conuenit, nisi factis uel applicatis unctionibus & alijs medicaminibus, quoniam cum natura tentauit expellere humores, adiuta à medicinis, permiscuit cum sanguine aliquid de ipsis: quare ad minus uentosæ non uituperantur, sed hoc cum cautela, ne humores frigidi magis incrudentur, aut calidi magis inflammentur, iuxta Auic.

quarta primi: Caue ne ægrum ad unam duarũ perducas rerum aut humorum cholericorum ebulitionem, aut frigidorum cruditatem. In hoc autem casu magis timetur cruditas quàm ebulitio, & ideo raro conueniens est, & expertũ est multis nocuisse potius quàm iuuasse.

Et si quæratur, dolores qui fiunt, qualiter appellari debent? Dico, quod ut plurimũ extensiui. Vnde Auicenna: Doloris extẽsiui causa est uentositas, aut humor qui neruum aut musculũ extendit, ac si ipsum ad suas trahat extremitates. secunda primi. Nec uerũ est quod quidam existimant, quod hic dolor sit frangitiuus, quia iudicant hanc materiã esse inter ossa & panniculum, fundantes se in dicto Auic. Causa doloris frangitiui est aut uentositas quæ interponitur inter os & panniculũ qui tegit ipsum. Et nõ loquitur Auic. de panniculo immediate tegẽte os, quia ille insensibilis est, sed loquitur de illis qui non immediate adhærent ossi, sicut panniculus tegens costas, aut craneũ, & huiusmodi: quare cum in illis locis non fiat hic dolor, non debet sic appellari.

Et si quæratur, pustulæ quæ fiũt in hoc morbo, quibus pustulis magis proportionantur? Dico, quod illis quæ uocantẽ asafati ab Auic. qui sic ait: Asafati est summa bothor ulcerosarũ. Fen. vij. quarti can. c. de asafati. Tamen sæpe accidunt pustulæ, quæ alijs assimilantur, ut quæ assimilantur nodis, fistulis, cancris, essere, formicæ, & alijs ferè omnibus, ut cõsideranti patet. Sed quia nominum disputatio non pertinet medico, ut Auic. i. primi, doctrina sexta. v. c. in hoc sermonẽ prolongare non intendo, quemadmodũ alij qui ignorantes essentiam morbi & causas ipsius, & ex consequenti curam, non nisi de nominibus fecerunt mentionem, quorum opus quare fuerit impressum, cõprehendere nequeo.

Et si quæratur, quare dolores augentẽ in secunda aut tertia die unctionis? Respõdetur, quod tum humores mouentur, tum quia subtiliantur in sanatione seu digestione quæ fit merito unctionis, iuxta Aphorismũ secundæ

cundæ particulæ: In generatione ſaniei febres & dolo=
res fiunt magis quàm facta ſanie. Et ideo optimũ & ſin
gulare ſecretum eſt, eo tunc adminiſtrare ſolutiuũ, ut
antequam humor per os expellatur, per deorſum eua=
cuetur, & ſic nocumentum in ore euitatur, ut ego ſæ=
pius expertus ſum. Aut ſi puſtulas ſeu plagas ulceroſas
habuerit, ibi attrahentia ponãtur, ut humor inde eua=
cuetur, & ab ore diuertatur. Ex quo infertur, quod ue=
rior eſt opinio quæ dicit argentũ uiuum eſſe calidum,
quàm quæ dicit eſſe frigidum, quum ratione ipſius hu
mor ſubtilietur, & ponatur in motu, ut oſtenditur. Sed
contrà ait ſtudioſus iuuenis Vincentius Aiax Siculus:
Argentum uiuum cauſat ægritudines frigidas, ut epi=
lepſiam, paralyſim, & huiuſmodi, ut Auic. ſecundo ca=
non. & alij: ergo frigidum: quia ſimile nõ niſi à ſimili ge
neratur, ut habetur in Phyſ. Ad quod reſpondetur,
quod uerum eſſet ſi de per ſe cauſaret has ægritudines,
ſed has cauſat per accidens, ſcilicet debilitãdo, quum ſit
contrarium cerebro & neruis ratione complexionis,
quia calidum & humidum, & naturalis complexio iu=
uatur ſuo ſimili, & læditur cõtrario, iuxta tertio techni:
Calidiora calidioribus indigẽt adiutorijs. Quare ob de=
bilitatem humores frigidos generãt, & eos faciliter reci
piunt, cerebrum ipſum dico & nerui: & ſic clare patet
ſolutio, quia non conuenit quod aliquid generet ab eo
diuerſum per accidens, ut frigidum calidũ, & calidum
frigidum, & ſic de alijs.

Item quæſitũ fuit à quodam acutiſſimo iuuene Fran
ciſco de Carmino, utrum argentum uiuum ſit conue=
niens in hac ægritudine, quum ſecundũ mentẽ omniũ
autorum inimicatur neruis, & hæc ægritudo pro maio
ri parte eſt in neruis. Item ait ipſe: Fama quam omnes
famant non omnino uana, ſeptimo Ethicorum. Sed o=
mnes ferè dicunt argentũ uiuum eſſe contrarium, &
unctiones propterea uituperãt, igitur &c. Ad quæ per
me reſponſum fuit, quod argentum uiuum eſt conue=

niens propter rationes ſuperius dictas. Sed ad primũ argumentum dico, quod licet habeat in ſe aliquod nocumentum, tamen poſtquam corrigitur, ut oſtenditur ſuo loco, non eſt tantũ quin ſit multo maius iuuamentum. Vel poſſet dici, quod ideo argentũ uiuum eſt contrarium neruis, quia eius complexio eſt contraria complexioni naturali neruorum, & ita in ſanitate noceret ipſis neruis: ſed quia nerui ſunt diſcraſiati ad frigidum & ſiccum, & per argentũ uiuum remouetur illa diſcraſia, donec reuertantur ad ſuam eucraſiam, ideo poſſet dici quod abſolute eſt cõueniens: unde aliqua in ægritudine conueniunt, quæ in ſanitate diſconuenirent, & traherent corpus ad lapſum præternaturalem. Ad ſecundam rationem dico, quod notanter ait Ariſt. non omnino uana: quia nõ uult quod nullo modo ſit uera, habet enim aliquid ueritatis. Pro quanto argentum uiuum, ut probatum eſt, habet aliquid nocumenti, nõ tamen propter hoc eſt prohibendum ex toto, & maxime correctũ: ait enim Galenus xi. de ingenio ſanitatis, diffi cillimum eſt inuenire aliquod auxiliorum, quod nihil nocens conferat. Item fuit quæſitum ab alio, quare dolores magis multiplicãtur in iuncturis, ꝗ̃ in alijs alis locis, cum ex motu deberẽt magis reſoluiꝰ & fuit ſubtilis iuuenis Iacobus Roger. Ad quod reſpõſum eſt, quod magis facit uacuitas ad aggregandum, quàm motus ad reſoluendum: unde Auic. ſecunda Fen, primi canonis: Amplitudo quæ eſt apud iuncturam, eſt apta ut materia ad ipſam deſcendat.

De explanatione arboris ſignorum. *Caput* VII.

OMne ſignum ægritudinis aut ſumitur à re nõ naturali, aut à re naturali, aut à re præter naturam. A re nõ naturali, ut in quo aëre ſtetit infirmus, quibus cibarijs, quo potu uſus ſit, quo exercitio, quo ſomno, qua uigilia, & ſic de alijs. A re naturali, ut cuius ætatis ſit infirmus, qualis ſit eius cõſuetudo, qualis ars, qualis uirtus, qualis complexio, & huiuſmodi. A re præter na

turam

turam tripliciter, ab operatione læsa, qualitate mutata, ab exeunte mutato. Ab operatione læsa tripliciter, aut animali, uitali, aut naturali. Ab animali dupliciter, motiua & sensitiua. Sensitiua dupliciter, interiori & exteriori. Exemplum de motiua, ut qualiter possit moueri secundũ totum & secundũ membra. Exemplũ de sensitiua exteriori, ut qualiter uideat, audiat, olfaciat, tangat, utputa quem dolorem percipiat, quem saporem in ore sentiat. Exemplum de sensitiua interiori, ut quales habeat imaginationes, quale iudicium, qualem memoriam, qualia somnia. Exemplũ de uitali, ut qualem pulsum, qualem anhelitum habeat. De animæ passionibus in sex rebus non naturalibus fiat inquisitio. Si sumitur à naturali operatione, hoc dupliciter: aut ab operatione uirtutum ministrantium, aut ministratarum. Exemplũ primi, ut qualiter appetat, retineat, digerat, attrahat, atq; expellat, puta egerat, urinet, menstrua habeat, coëat, sub re nõ naturali comprehendatur. Exemplum de administratis, ut qualiter nutriat̃, & de omnibus istis operationibus inuestigando an sit diminuta, an ablata, an corrupta operatio. A qualitate mutata, ut qualis sit odor anhelitus infirmi, qualis sudoris, qualis uulneris, ulceris, aut saniei: qualis sit etiã color linguæ, oculorum, & totius corporis, qualis humiditas, qualis siccitas &c. asperitas, lenitas, durities, mollities linguæ, uentris, & totius corporis. Ab exeũte mutato, ut quantæ & quales sint superfluitas oculorum, narium, aurium, palati: qualis sit uomitus, & quantus, ac etiã eructatio, qualis item urina, egestiones, capitis subassellarum pedumq; sordities, & totius corporis sudor. Halices, oscitationes, nausea, subuersio, ad naturales operationes expulsiuas reduci possunt, quia à natura tentante expellere fiunt: unde signo sanguinis ista sunt. A re non naturali, quia usus est regimine multiplicante sanguinem, ut quia utitur arte gaudiosa, sicut cãtator, aut histrio, uel quia utitur cibis multiplicãtibus sanguinem

& potibus, ut ſunt oua ſorbilia, teſticuli gallorũ, uinum optimum, & huiuſmodi. A re naturali, quia carnoſus, complexionis ſanguineæ, adoleſcens ſeu iuuenis, & ſimilia. A re præter naturam, & primo ab operatione læſa, grauitas in origine oculorũ & capitis, & temporum pulſatio, halices, oſcitationes, nauſea, dormitatio multa, & profunda ſenſuũ turbatio, tarditas in cogitando, laſſitudo membrorũ abſq; labore, pulſus magnitudo, uelocitas & frequentia, repletio uaſorum ſiue uenæ ſiue arteriæ fuerint. A qualitate mutata, rubedo in toto corpore, & maxime in uenis oculorum, repletio ipſarũ, bothor in ore. Ab exeunte mutato, urina rubea groſſa, aut rubea obſcura, aut rubea roſſea. In egeſtionibus non apparet ſignum: ſputum eſt dulce, aliquando ſanguini mixtum: exitus ſanguinis per nares, aliquando à gingiuis, aut menſtrua uel hæmorrhoides, uel per alia loca: ſudor fœtidus ſicut hirci, etiã multus: puſtulæ ſanguineæ: & his additur, quia patiens ſomniat ſe uidere res rubeas, ſanguinem fluere, natare in eo. Vnde quarto Colliget recitatur de Galeno, quod præceperat phlebotomari quendam qui ſomniauit in dolio ſanguinis balneari, alij uero nolentes iniunxerũt ſibi exercitium, & mortuus eſt.

Signa choleræ à re non naturali, quia uſus exercitio forti ſtetit in aẽre calido, uſus eſt cibarijs calidis & ſiccis choleram multiplicãtibus &c. A re naturali, quia iuuenis, cholericus, & huiuſmodi. A re præter naturam, & primo ab operatione læſa, quia habet infirmus ſitim multam, inquietudinẽ, dolorẽ in parte dextra frontis, & uehemẽtia lucis ei nocet, & quandoq; habet famem ſincopalẽ, debilitas appetitus, nauſea, horripilatio ad modum puncturæ acuum, furor, mordicatio uehemẽs in exitu fecum, ſimiliter & urinæ, pulſus uelocitas cum duritie, & tenſione. Hic poteſt conſequenter poni de ſomnijs, quia potius attinet actioni læſæ, ut quia uidet res citrinas igneas, quod facit rixas, & aliquãdo ſomniat

ſe:

ſe uolare. A qualitate mutata, ut citrinitas faciei, & totius corporis, oculorũ citrinitas, ſicut accidit in icteritia, oris amaritudo, linguæ ſiccitas & aſperitas, narium ariditas. Ab exeunte mutato, urina rufa, citrangularis, ignea, crocea, egeſtiones croceæ, ſputũ amarum, uomitus cholericus uiridis uel croceus & amarus, humiditas narium & oculorum acuta, cholerica & pauca, aurium uero multa.

Signa phlegmatis à re non naturali, ut cibi repletio, ocium, ſomni prolixitas &c. A re naturali, ut quia complexionis phlegmaticæ, piſcator, pinguis, & huiuſmodi. A re præter naturam, & primo ab actione læſa, paucitas ſitis, niſi ubi fuerit phlegma ſalſum, debilitas digeſtiuæ etiã in tẽpore ſanitatis, oxyregmia, ſomnus multus, pigritia, ocioſitas, membrorum laxitas, põderoſitas oculorum, obliuio, dolor in poſteriori parte capitis, uertigo, ſcotoma, caſus appetitus, appetitus acutorum & acrium, nauſea, eructatio, dolor grauatiuus, frigiditas, in capite & ſtomacho percepta eius notabilis læſio, ibi enim multum aggregatur de phlegmate, ut Auic. decima tertia tertij, & Meſ. in de appropriatis: raritas, tarditas, & lenitas pulſus. A qualitate mutata, frigiditas percepta, color albus in facie & corpore, ſuperfluens albedo linguæ, mollities eius ſuperflua, ſqualiditas corporis, tumor etiam faciei cum mollitie. Ab exeunte mutato, urina alba, diſcolorata, palearis uel ſubcitrina, egeſtiones phlegmaticæ, albæ, uiſcoſæ, ſeu mucoſæ, aquoſæ, & huiuſmodi: ſputum uiſcoſum, aquoſum, multiplicatio ſaliuæ non amaræ, ſed ponticæ, multitudo ſuperfluitatis egreſſæ per nares & palatum: & additur ſomniare aquas, niues, pluuias, & huiuſmodi, quæ ad operationes læſas reduci poſſunt.

Signa melancholiæ, primo à re non naturali, ut quia uſus eſt nimia cogitatione, ſolicitudine, timore, &c. puta cibis melancholicis, & huiuſmodi. A re naturali, quia complexionis melancholicæ, & conſuetus incurrere

ægritudines melancholicas, & ſimilia. A re præter naturam, & primo ab actione læſa, quia in capite ſentitur grauitas, & magis in parte ſiniſtra, ardor oris, ſtomachi deſiderium corruptum, & aliquando caninum, uigiliæ multę, ſolitudo multa, læſio ſeu ægritudo ſplenis, ut dolor, & grauitas ſeu durities, taciturnitas, cogitationes multæ, fletus ſeu uoluntas flendi, fixio aſpectus, rugitus, pigritia, tenſio hypochondriorum, paucitas ſomni, ſi non fuerit cum phlegmate acredo, uel acetoſitas oris, prauitas pulſus cum duritie, corporis extenuatio. A qualitate mutata, fuſcedo in corpore apparẽs ſeu nigredo, corporis piloſitas, morphæa nigra, & eſt fortiſſimũ ſignũ, ut Auerrois iiij. Col. in palpebra inferiori, oculi maxime nigredo, & limpitudo in eis. Ab exeunte mutato, urina nigra uel ſubnigra, ad obſcuritatẽ tendens, uiridis, liuida, nigredo egeſtionum ſeu fuſcedo, paucitas ſputi, acredo eius, eructationes acetoſæ, ſanguis niger & coagulatus ſi exiuerit. Somnia ſunt multum terrorem inferentia. Etiam poteſt addi à iuuantibus & nocentibus. Notandum tamen quod ea tria quæ Galenus ponit genera ſignorum, ſcilicet à ſubſtantialiter inhærentibus, à caſibus & operationibus, ad iſta tria reduci poſſunt, uel iſta tria ad illa: & ſi hic ponatur, ut in arbore apparet, à re naturali & nõ naturali, à iuuantibus etiam & nocentibus quod poni poſſet. Omnia tamen ad illa tria Galeni reduci poſſunt, ut patet recte conſideranti.

IOANNIS ALMENAR HISPANI MEDICI, DE CVRA MORBI GALLICI FINIS.